(5

AD
VIRUM CLARISSIMUM
JACOBUM WILLELMUM
FEVERLINUM
PUBLICUM GOETTINGENSEM PROFESSOREM
EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

JACOBO WILLELMO FEVERLINO

PUBLICO GOETTINGENSI PROFESSORI

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

PErlatæ ad me ſunt ante paucos dies tuæ, Vir Clariſſime, literæ XX. Decembris MDCCXLVII. datæ, unde intellexi, grato a Te prorſus animo, quæ tua eſt humanitas ſingularis, exceptas fuiſſe Diſſertationum mearum Epiſtolicarum Decades quinque, Latinas ſcilicet quatuor, & unam Italicam. Haſce omnes locum aliquem tuo in Muſæo ſortiri, iiſdem valde honorificum cenſeo; faciamque proinde, ut ipſis, quam citius per veredarios licebit, ſocientur etiam Epiſtolæ Franciſci Barbari, & Cardinalis Reginaldi Poli, meis & iſtæ curis in lucem editæ, pariterque libri de Primordiis Corcyræ, ac de Pauli III. Geſtis, ac tandem de Vita, & Vindiciis Pauli II. ſicuti & de Brixiana literatura, renaſcentium literarum ætate,

A 2 quam-

Digitized by Google

quamvis binos iſtos poſtremos in literis illis tuis minime memoraveris. Quandoquidem ita comparatus ſum, ut minime patiar, tenues hoſce meorum ſtudiorum fœtus exponi venales, quod vix aut ne vix quidem ſperare poſſim emptores iiſdem non defuturos; jucundiſſimum propterea mihi accidit, Viros æque doctos, ac humanos nanciſci, qui illis donati, beneficium ſe a me accepiſſe profiteantur, dum benevola eorum voluntas, munuſcula illa mea commendando, atque exornando, beneficium ipſa in me congerere, jure ac merito non a me tantum, ſed a pleriſque etiam, quibus par benevolentia non inſit, exiſtimari debeat. In illorum autem Virorum ſyllabo, quem penes me retineo, præcipuum quendam locum Tibi dari, Feverline, nemo miretur, cui comperta ſit literaturæ, qua ipſe polles, præſtantia; maxima, quam obtines in Auguſto Goettingenſi Athenæo exiſtimatio; ac demum incredibilis tua erga me benignitas. Hæc profecto unice Te perpulit, ut librorum meorum novam Editionem in Germania, & *in uſus* (ut ipſe loqueris) *Orbis literati Septentrionalis* procurare, in animum induxeris; gratiamque a me retuliſſe Te poſtremis illis tuis literis affirmaveris, quod rei illius perficiendæ facultatem Tibi indulſerim.

Novum modo tam prolixæ erga me comitatis argumentum oculis meis exhibuit Programma ad rite ſolvenda Georgiæ iſtius Academiæ Vota Decennalia concinnatum, typiſque de more publicatum

a

a doctiſſimo, diſertiſſimoque Eloquentiæ apud Vos Profeſſore Jo. Matthia Geſnero. In eo ſiquidem venuſtiſſima, & maxime decora oratione compellatur Carolus utriuſque Siciliæ Rex, quo exercitus ſuos ire jubeat, potius quam ad inferendam Italiæ vaſtitatem, ad eruendam ex cineribus, & pumicibus Veſuvii montis veterem urbem, erui jam cœptam, ſive Heracleam, ſeu Herculanum, vel Herculaneum dicendam; deinde vero Rex idem rogatur, ut ei negotio præficiat Viros Antiquitatis, Hiſtoriæ, Architecturæ, & literarum omnium peritos, & amantes, cujuſmodi, Ægitio functo jam fatis, Mazochius, horumque ſimiles, ac demum chorum eruditum univerſæ Italiæ. Huic autem choro dum me ipſum inſeri, meique, ceu ejuſdem Præſidis, nomen ab Oratore recitari deprehendi, unde tenuitatis meæ quodammodo oblitus, *Sublimi feriam ſydera vertice*; hoc illud eſt, Feverline, quod incredibilem, ut dixi, tuam erga me benignitatem magis, magiſque comprobavit. Etenim talem honorem ne omnino acceptum referam Oratori illi præſtantiſſimo, facit nulla adhuc inter eundem, & me juncta neceſſitudo, ac proinde ſtudiorum meorum notitiam non aliunde illum hauſiſſe putarim, quam ex ſermonibus, quos ſecum aliquando miſcere dignati fuerint Tu, Feverline, Cruſiuſque, & Koelerus, præclara & ipſi iſtius Academiæ lumina, eorundemque meorum laborum gratioſiſſimi fautores. Etſi vero nullam adhuc mihi cum Geſnero

 in-

interceſſiſſe dixerim neceſſitudinem; attamen hujus Scriptis familiariſſime utor, iiſque præſertim, quæ Editio Vratislaviæ confecta anno MDCCXXXXII. & MDCCXXXXV. repræſentat, quæque, etſi *Minora Opuſcula* inſcribantur, nemo harum rerum peritus negaverit hujuſmodi eſſe, ut maximorum Operum loco eſſe debeant; namque elucet in illis doctoris celeberrimi eloquentia maſcula, & veterum Romanorum exemplis firmata, uſus quoque Græcæ, Latinæque linguæ, & Antiquitatum ad eam ſpectantium incredibilis, experientia certiſſima rerum Scholaſticarum, ampla quoque hiſtoriæ literariæ, & librariæ notitia. Verba iſta exſcripſi, ut ſentis, ex appoſita Editioni illi Præfatione, quam integram quum ſemel iterumque perlegerim, ultro fatebor, paucis ibidem lineis deſcriptam incomparabilis Viri illius imaginem vix fieri poſſe mihi perſuaſiſſe, ut idem meo nomine, quod in Programmate ſuo fecit, collaudato in periculoſam omnino aleam committere voluerit Geſneriani nominis gloriam, qua hodie ſplendent Goettingenſis Academiæ Annales.

Quoniam vero honorificum illud teſtimonium, quo me prorſus immeritum Viri præclariſſimi concordi ſtudio decoraſtis, deberi a me video, præter humanitatem veſtram, Decennalium etiam iſthic peractorum celebritati, ſinite, quæſo, ut velox accurram ad augendam genialis illius Feſti lætitiam; idque, oblatis Bibliothecæ publicæ Goettingenſi libris

bris iis omnibus, quos uſque in hodiernam diem evulgavi. Compoſita eſt jam capſula, quæ eoſdem complectitur, hujuſque Urbis Mercatori contradita, qui certe, ut deſiderio meo ſatisfaciat, diligenter curabit, quantocius eandem ad Vos perferri. Ut primum vero tuas ad manus, Feverline Clariſſime, ſupellex hujuſmodi literaria (curta utique) adveniet, tuæ, rogo, partes ſint, ut levidenſe illud munuſculum, ceu magnum meæ erga Vos omnes obſervantiæ, gratique animi argumentum, ſedem aliquam in Bibliotheca inclyta veſtra reperiat. Noveris autem, bonum omen, libros ſcilicet hoſce a Vobis benevole excipi poſſe, inde a me capi, quod flagrantiſſimum Geſneri in eo Programmate votum eſſe intellexerim, ut ex Herculano, veluti e ſepulchro, prodeant aliquis integer Diodorus Siculus, Polybius aliquis totus, aut Salluſtius, aut Livius, aut Tacitus, aut Ovidianorum Faſtorum pars poſterior, aut Plinii majoris Bellorum Germaniæ libri viginti. Cur etiam non confidam, gratos Vobis futuros libros meos, quorum bona pars magnos Viros Franciſcum Barbarum, Reginaldum Polum, Gaſparem Contarenum, Jacobum Sadoletum, præterea Pontifices Maximos Eugenium IV. Nicolaum V. Paulum II. Paulum III. e ſepulchrali tumulo ipſa pariter in dias luminis auras evexerit? maximos, inquam, Pontifices non ex dignitate tantum, ſed etiam ex optimis artibus, ad quas ornandas ſe natos fuiſſe demonſtraverint. Pari ratione o utinam

cura

cura mea novam vitam Dio Caſſius recipere potuiſſet! Pro eo e Vaticana Bibliotheca effodiendo, non mediocriter me uno & amplius abhinc anno laboraſſe, fidem Vobis facient binæ meæ Epiſtolæ ad Reimarum Clariſſimum Hamburgenſem Profeſſorem datæ, locumque ſortitæ in quarta mea Latinarum Decade. An melior fortuna arriſerit Carminio Falconi, Calabro hiſce temporibus Archiepiſcopo, res ipſa declarabit propediem; admonuit me ſcilicet ille ante tres menſes, Dionis ſui primum Tomum lucem publicam viſurum, antequam annus proximis hebdomadis elapſus expiraret. Opus illud avidiſſime expectari a Reimaro, omnium certiſſime teſtari Vobis potis erit Cruſius veſter, quod recens Haarburgi lares ſuos poſuerit; indeque per ipſum propius exſtimulari velim eundem Reimarum meo etiam nomine ad Editionem ejus Hiſtorici, quam iſte a multis annis adornat, cito in publicum educendam.

Particeps igitur in eum modum, quem explicavi, effectus ego Decennalis veſtræ Solemnitatis, accipite nunc, quo pacto cogitaverim de Vobis ad peragenda viciſſim Brixiani mei Præſulatus Vicennalia invitandis. Contigerunt iſta eo ipſo menſe Septembri an. MDCCXXXXVII quo veſtrorum Decennalium Geſnerianum Programma celebrationem indixit. An non conſenſionem iſtam lætus admirer? An non ipſa mihi ſuadeat, ut alternas illas vices ab humanitate veſtra alacriter depoſcam?

At

Digitized by Google

At quid ſtatim reponatis, facile intelligo; videlicet, Academica veſtra Decennalia idonea fuiſſe, quæ plauſus meos excitarent, ſacra vero mea Vicennalia ejuſcemodi eſſe, adverſus quæ, ceu omnino prophana, conclamandum ſit unicuique veſtrûm, *Odi, & arceo*. Hoc illud eſt, quod ſæpius conclamare dicam Te ipſum, Feverline, in libello, quem ad manus habeo, Obſervationum variarum in Auguſtanæ Confeſſionis ſingulos articulos, ubi doctrinam, quam Eccleſia Romana profitetur, cujuſque edocendæ cura in primis ad Epiſcopos ſpectat, atro carbone denigras. Igitur eluendas mihi præcipis haſce maculas, ut Vota, ut gratulationis officia, quæ Decennalibus veſtris perſolvi, meis illis Vicennalibus rependere Vobis fas eſſe arbitremini. Quare id ipſum in præſens aggrediar, afferamque ad eam rem in medium documentum illud, quod hiſcemet diebus ex Ambroſianæ Bibliothecæ ſcriniis mecum liberaliter communicavit ejuſdem Præfectus Cl. Joſeph Antonius Saxius. Labes eaſdem nullo prorſus pacto comparere in iis laudatorum ſuperius Cardinalium Scriptis, quæ memorandi crebram mihi præbet occaſionem Poli Cardinalis Epiſtolarum Editio, id parum, aut nihil cauſæ meæ ſuffragari, Auguſtanæ illius Confeſſionis Sectatores, cum quibus de eo argumento haud raras controverſias inſtitui, contendunt, eà videlicet de cauſa, quod defæcatior doctrina, quam Cardinales illi probaverint, adeo propria ipſorum fuerit, non ve-

ro

ro communis cæterorum Eccleſiæ Romanæ Antiſtitum, ut ex hoc ipſo capite haud levem invidiam apud noſtros ſubiiſſe iidem Cardinales comperiantur. Proferendum ergo ſuſcipio in præſentia documentum, quod ipſam Romani Pontificis, præhabito Senatus Apoſtolici ſuffragio, præſcriptam omnibus Chriſtifidelibus doctrinam meridiana luce clarius oſtendit. Hujuſmodi eſt Pauli III. de modo concionandi Præceptum, antequam Tridentinum Concilium cogeretur, anno ſcilicet MDXXXXII. evulgatum ad certam regulam ſtatuendam verbi Dei præconibus, ut in Religionis diſſidiis, quæ fervebant, germanos tantum Catholicæ Eccleſiæ ſenſus enunciarent. Priuſquam autem Præceptum illud recitem, ex tuis, quas dixi, Obſervationibus in medium proferam, Feverline, accuſationem illam, qua nulla capitalior, nulla acerbior, nulla frequentior a veſtris hominibus in noſtros contorqueri ſolet, qua ſcilicet inſimulamur, Merita Chriſti veluti aſpernari, & bona Opera noſtra magnifacere, hiſque præſertim inniti ad vitam æternam nobis comparandam. Itaque ad Articulum XX. Auguſtanæ Confeſſionis, qui inſcribitur de Fide, & Bonis Operibus, accuſationem illam pro re omnino comperta venditans Commilitonibus illis, quibus varias & ſelectas Obſervationes tuas in ejuſdem Articulos ad diſputandum in Auditorio Theologico proponis, *Noſtros* (ais ipſe) *doctrinæ Evangelicæ inſtauratores indolem bonorum Operum recte explicaſſe,*

quod

Digitized by Google

quod nimirum a Deo præcepta eſſe, & maxime in internis, in amore Dei, & proximi, in patientia, in non concupiſcendo, conſiſtere debeant; Concionatores autem Pontificios olim de his parum docuiſſe, tantum puerilia & non neceſſaria opera, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, roſaria, monachatum, & ſimilia urſiſſe. Quam facile nobis ſit maculas iſtas abſtergere, ac proinde eam accuſationem profligare, Pauli III. (in cujus præſertim Pontificatum cadere tuum illud *Olim* cenſeri debet) literæ Apoſtolicæ eo tempore conſcriptæ, quo acerrime a vobis pugnabatur pro hujuſmodi criminationibus adverſus Romanam Eccleſiam tuendis, quove nondum convocatum erat Tridentinum Concilium, apertiſſime jam demonſtrent.

LITERÆ PONTIFICIÆ
De modo Concionandi MDXLII.

NIhil magis putamus ad officium Paſtorale Summi Pontificis pertinere, quem „Chriſtus Dominus noſter Univerſali Eccle-„ſiæ præfecit, quam impenſam operam dare, „ut mature tollantur omnia ea, quæ viden-„tur poſſe perturbare pacem, & hujus Eccle-„ſiæ unitatem, quam in primis in ea Deus „voluit conſervari, in his præſertim rebus, „quæ ſpectant ad doctrinam & dogmata, qui-„ bus

„bus populus Chriſtianus imbui debet ab his, „qui conſtituti ſunt ut coadjutores Epiſcopo„rum ad prædicandum populo Dei verbum. „Idcirco cum hac tempeſtate, in quam inci„dit Pontificatus noſter, nonnulla ſchiſmata „orta ſint, quæ mirifice perturbant quaſdam „Chriſtianas Nationes, maximaſque ſeditio„nes pepererint, quibus ſperamus mederi poſ„ſe, Domino bene juvante, Concilii Gene„ralis celebratione, quod jam indiximus, ca„vendum nobis in primis ducimus, ne novus „quiſpiam hujuſmodi morbus reliquum Ec„cleſiæ corpus, quod adhuc ſanum eſt, aliqua „ratione adverſarii noſtri inſidiis invadat. „Quamobrem cum intellexerimus, Prædica„tores verbi Divini piis ſtudiis accenſos, non „tamen ſecundum ſcientiam, inter ſe diſſidere „in tradenda populis Chriſtiana diſciplina, ac „ob eam rem populum rudem, nec ſatis capa„cem ſubtiliorum diſputationum, plerumque „etiam bene dicta in pravum ſenſum interpre„tari, aliquando etiam incertum reddi, quo„rumnam ſententiam potiſſimum ſequi de„beat; ideo oportunum putamus fore, ſi cer„ta quædam regula ſtatuatur (nullis interim „Ortodoxis dogmatibus improbatis) qua om„nes Concionatores uti debeant, ut omne „idem dicant, ac populus idem audiat dici ab „omnibus. Quamobrem nonnullis Viris gra-

„vi-

Digitized by Google

„vibus, piis, & Sacrarum Literarum peritis
„injunximus, ut in hanc curam incumberent,
„qui omnibus bene diſcuſſis, in ſcriptis nobis
„tradiderunt ea, quæ excogitavere. Nos au-
„tem iterum cum Venerabilibus Fratribus
„noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali-
„bus re diſcuſſa, de eorum conſilio decrevi-
„mus, hanc ab omnibus formam doctrinæ ſer-
„vari debere in Concionibus ad populum, ſi-
„ne ullo, ut diximus, præjudicio Ortodoxi
„cujuſpiam dogmatis; ſed rationem tantum
„habendam arbitrantes populi rudioris: quem
„doctrinæ modum notavimus ſervatum fuiſſe
„ab omnibus piis, & Sanctis Viris, ac præſer-
„tim a Sancto Sanctorum Domino Noſtro
„Jeſu Chriſto, qui eſt Deus benedictns in ſe-
„cula. Juſſit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus,
„ut refert Lucas Evangeliſta, prædicari in
„nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem
„peccatorum. Idcirco veritatis præcepto inſi-
„ſtente, injungimus omnibus verbi Divini
„Prædicatoribus, ut primum populo prædi-
„cent pœnitentiam, ſine qua impoſſibile eſt
„ſperare per Dominum Noſtrum Jeſum, &
„fidem in ſanguine ejus, ullam a Deo remiſ-
„ſionem peccatorum. Inſiſtendum ſummope-
„re eſt hoc in loco, quoniam populus impli-
„citus cujuſcumque generis vitiis & peccatis,
„ſummopere eget, ut ad pœnitentiam provo-

Digitized by Google

„cetur ; nemo enim poteſt novam vitam in-
„choare, niſi eum veteris pœnituerit, nec per
„Chriſtum & ejus fidem, ad Deum accede-
„re, niſi prius cum Chriſto mortuus fuerit
„peccato. Ampliſſimus eſt hic locus, & maxi-
„me a Prædicatoribus ampliandus. Declaran-
„da ſunt etiam, & exponenda Legis præcepta,
„contra quæ ſunt peccata, peccatorum genera
„explicanda, eorumque quam magna ſit defor-
„mitas populo exponendum : proponendæ ex
„Evangelii textu ſunt & pœnæ paratæ pec-
„catoribus, & virtutibus, ac benefactis pro-
„poſita præmia ; ſicque Auditorum animus
„ad juſtitiam accendendus, & a ſordibus pec-
„catorum abducendus. Innumera ſunt exem-
„pla Sanctorum & piorum Hominum, quibus
„Auditor accendi poteſt ad probitatem, & ab
„improbitate retrahi. Hunc prædicandi mo-
„rem ſervatum fuiſſe a Domino Noſtro Jeſu
„Chriſto in Evangeliis legimus, quot Para-
„bolas retulit Præceptor bonus, ut ſe popu-
„lo accommodaret, & interim, ut Auditorum
„ſtudia excitaret ! Quodnam exemplar nobis
„proponemus imitandum, ſi rejicimus Domi-
„ni exemplar ! Jactis pœnitentiæ fundamen-
„tis, commode poterimus tranſire ad remiſſio-
„nem peccatorum, alteram inquam partem,
„quam præcipit prædicari debere in ejus no-
„mine. Hic docendus populus ad remiſſio-

„nem

„nem peccatorum poſt veram pœnitentiam
„vitæ veteris, in qua obedivimus peccato,
„nullo alio mediatore, qui nobis hoc meruerit,
„impetrari poſſe, quam per Dominum No-
„ſtrum Jeſum Chriſtum, & per fidem paſſio-
„nis, & reſurrectionis ejus, ut Apoſtolus Pau-
„lus apertiſſime declarat: nam & unum me-
„diatorem Dei & hominum, inquit, eſſe
„Chriſtum Jeſum, & quod Deus ipſum pro-
„pitiatorem poſuit per fidem in ſanguine ejus.
„Hoc in loco doceri poterit populus omnia
„beneficia, quæ conſecutum eſt humanum ge-
„nus per Chriſtum Dominum noſtrum, quo-
„rum quædam jam ſunt aſſecuti qui ſunt in
„Chriſto; alii vero qui in Chriſto non ſunt,
„vel a Chriſto exciderunt, certiſſime conſe-
„quentur, ſi poſt veram pœnitentiam ei inhæ-
„ſerint per veram fidem & caritatem: nam &
„remiſſionem peccatorum ſic per eum adipiſci-
„mur, & S.Spiritum, per quem caritas diffundi-
„tur in cordibus noſtris, & adoptionem in filios
„Dei, quæ omnia initio adepti ſumus per Bap-
„tiſma, poſtmodum autem perdita inertia &
„malitia noſtra ob peccata mortalia, recupera-
„re poſſumus per Sacramentum Pœnitentiæ,
„& ex vi abſolutionis Sacerdotis, & fidei no-
„ſtræ in ſanguine Jeſu Chriſti poſt Confeſ-
„ſionem rite peractam. Quædam vero alia
„beneficia ex meritis Chriſti abſque dubio con-

„ſequemur re ipſa, ſicuti nunc ſpe certa poſ-
„ſumus videri adepti jam fuiſſe: hæc autem
„ſunt felicitas æterna poſt hanc vitam, & re-
„ſurrectio corporum in die judicii. Uterque
„locus ampliſſimus eſt; nam de miſeria homi-
„nis, in quam ceciderat poſt peccatum primi
„Parentis, & de ſervitute, qua peccato ſer-
„viebat, & de reatu, quem contraxerat, &
„miſeria, in quam deciderat, copioſe doceri
„populus poteſt, ut magis intelligat, quan-
„tum omnes debeamus Chriſto, cujus paſſio-
„ne, & meritis liberati ſumus, & gratiam
„adepti in ſpem vitæ æternæ obtinendæ, ſi in
„Chriſto manſerimus, & ſpiritu ambulaveri-
„mus. Hic pius Divini Verbi Prædicator
„commode poterit populum docere Sacra-
„menta, quibus tamquam ſignis quibuſdam
„viſibilibus inviſibilis gratia a Deo per Chri-
„ſtum nobis confertur; quo in loco docendus
„populus, quod quemadmodum Baptiſmus &
„Pœnitentia ſunt diverſa inter ſe Sacramen-
„ta, ita non eodem modo paſſio Chriſti ap-
„plicatur nobis in Baptiſmate, & in repara-
„tione poſt lapſum, qua in re multi nunc er-
„rant; nam in Baptiſmo applicatur per mo-
„dum regenerationis, qua homo novus naſci-
„tur: in Pœnitentia vero per modum revi-
„vificationis, ſeu reſurrectionis, qua mortuus
„reviviſcat, cujus cadaver etiam in morte per

„con-

„conſecrationem Baptiſmatis pertinet ad Chri-
„ſtum; & ideo indiget ſatisfactione aliqua ex
„judicio Sacerdotis, & Dei, qua Chriſtum
„imitetur, & quo reliquiæ morbi contracti
„ex peccato ſanentur gratis, remiſſa culpa, &
„pœnæ æternæ reatu per Chriſtum. Omnia
„etiam myſteria, quæ Eccleſia Catholica, &
„Orthodoxa fides de Chriſto Domino noſtro
„credit certiſſima fide, poterit populus doceri,
„ex quibus magnam conſolationem, & fidu-
„ciam quivis peccator percipere poteſt, dum-
„modo ſit inſertus Chriſto per fidem & cari-
„tatem. Ad hunc locum pertinebit docere
„populum, abſtinendo tamen a difficilioribus
„perſcrutationibus, & capacitati populi ſe ſe
„accommodando, de fide, ſpe, & caritate, quæ
„ſentit Orthodoxa Eccleſia, & quæ etiam
„Chriſtianum hominem noſſe operæ pretium
„eſt; ad caritatem Dei & proximi omnia bona
„opera referuntur, quibus & pietas erga
„Deum exercetur, & erga proximum omne
„officii genus, & puritas animi, & ſimplicitas
„Chriſtiana in unoquoque conſervatur, &
„augetur, quibus propoſita ſunt prœmia om-
„nium ampliſſima, vita ſcilicet æterna, cete-
„raque omnia vera bona. Locus hic de bonis
„operibus maxime eſt amplificandus coram
„populo a Chriſtiani Verbi Prædicatore, ut-
„pote qui ſummopere ſit illi neceſſarius, at-

„que ad ea, quantum fieri poteſt, eſt populus „hortandus; dummodo ſemper primum fiduciam habeat in meritis Chriſti, quibus omnia noſtra opera nituntur. Ita ergo pio & „prudenti Chriſtianæ pietatis Prædicatori „cum populo, quem docet, agendum, ut nunquam fidem in Chriſtum prædicet, quin etiam „in eodem ſermone, & de pœnitentia, & de „bonis operibus diſſerat: itemque e contra „nunquam de operibus, & de pœnitentia ſermonem habeat, quin etiam de fide, & meritis Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & redemptio noſtra, qui factus eſt pro nobis a Deo „juſtitia & ſapientia, ut inquit Apoſtolus „Paulus. Quod ſi quis potuerit ad eam in Chriſto perfectionem pervenire, ut ſui ipſius oblitus, ex amplitudine fidei & caritatis omnia „etiam bona opera ſua (in quibus tamen ſemper verſari eum oportet, ſi fuerit talis ut diximus) contemnat, & nihil faciat, ſed vivat „tantum in Chriſto, hic præ omnibus admiratione dignus eſt habendus. Hunc, iterum „dicimus, & monemus, falſo, quiſque ille fuerit, ſibi polliceri hanc, quam meminimus, „perfectionem, niſi quamvis diligentiſſime ab „ipſo bona opera, & omnia officia præſtentur, „contemnat tamen, & parui faciat omnia, ac „ſolum Chriſto innitatur, in quem transformatus eſt. Verum quoniam non omnes, ſed

„pauci

„pauci hujus perfectionis capaces ſunt, præſer-
„tim in frequenti populo, & ea, quæ bene fue-
„rint dicta, in pravum ſenſum interpretari ſo-
„leant, & a parum idoneis in libertatem carnis
„verti; idcirco hortamur, & præcipimus Præ-
„dicatoribus, ut cum verba fecerint coram fre-
„quenti populo, magis verſentur in prædican-
„dis bonis operibus, in prædicando pœniten-
„tiam, & deteſtationem peccatorum: nullo
„interim pacto, omiſſa fide in Chriſto, & ejus
„meritis, quæ Deus nobis donavit cum Chri-
„ſto, ſi fuerimus in Chriſto, quam in ea docen-
„di ratione, ut frequenter ingeramus auribus
„populi perfectionem illam de contemptu no-
„ſtri, & operum noſtrorum. Nam non om-
„nes huic verbo capiendo idonei ſunt, ſed be-
„ne dicta, quæ non capiunt, detorquent in li-
„bertatem carnis, ut experientia omnes nos
„docet. Hanc rationem prædicandi in Evan-
„geliis legimus ſervatam fuiſſe a Chriſto Do-
„mino noſtro, cujus veſtigiis in primis niti de-
„bemus. Et quoniam ſperamus per Jeſum,
„Chriſtum, ſi in eo manſerimus, ſi in bonis ope-
„ribus verſati fuerimus, adepturos nos eſſe fe-
„licitatem, ac certo credimus, malos homines,
„qui non fuerint in Chriſto, judicium gehen-
„næ ſubituros, & de vita æterna, ac felicitate
„quam expectamus, de pœnis inferni, & de
„purgatorio, de reſurrectione corporum, de
„ex-

„extremo judicio poterit populus inſtrui, & „doceri ea, quæ Catholica & Orthodoxa Ec„cleſia ad hanc diem ſemper prædicavit. Do„cendus præterea populus eſt, qualis debeatur „Sanctis veneratio, quæ ſcilicet non confera„tur cum adoratione, qua Deus & Chriſtus „Dei Verbum adoratur, quæ eſt adoratio latriæ, „qua Deum primam omnium cauſam profite„mur, & ei tamquam ſummo bono inhæremus. „Sancti vero adorandi, ſeu venerandi ſunt, ut „membra Chriſti præcipua, & ut amici Dei, „jam cum Deo viventes, quos vult Deus ho„norari, eorumque precibus multa nobis tri„bui, ut tot Sanctorum Doctorum teſtimoniis „nobis proditum eſt; nam laudari vult Deus „in Sanctis ſuis, & membra Chriſti in vene„ratione haberi, quos ſecum etiam ſedentes ſu„per duodecim ſedes judicaturos Mundum, „apertiſſime ab Evangelio Lucæ docemur. „Obſervantias etiam, jejunia ſcilicet, & cete„ras cerimonias ab Eccleſia inſtitutas, docen„dus erit populus, religioſe ſervandas eſſe, non „ſuperſtitioſe, ut in eis ſpes & fiducia noſtra „ponatur; ſed ut exteriores cultus, qui & per „ſe ſint boni, & mirifice faciant ad cultum in„teriorem animi conſervandum, & promoven„dum, qui ſunt inſtituti a majoribus noſtris „Sanctiſſimis Viris, & tot ſeculis ab omnibus „Chriſtianis recepti, quibus nolle parere, ma-

„gna

„gna eſt injuſtitia, & graviſſimum peccatum, „præter peccatum ſchiſmatis, quo pauca ſunt „graviora; nam eo tollitur unitas Eccleſiæ, „quæ a Spiritu Sancto in unum corpus conti- „netur. Et ideo (ut inquit Auguſtinus) ſpera- „re remiſſionem peccatorum extra unitatem „Eccleſiæ, eſt peccare in Spiritum Sanctum.

Atque iſtud eſt Pauli Farneſii, Supremi Catholicæ Eccleſiæ Hierarchæ Diploma, in quo, tanquam in ſpeculo, quo nullum fidelius, contempleris, velim, Feverline, nitidam, ac ſinceram imaginem dogmatis, quod de Meritis Chriſti, & de bonorum Operum fructu Antiſtites ejuſdem Eccleſiæ profitemur, quodque, veluti certiſſimam Fidei regulam, univerſo, cui præſumus, gregi credendum proponimus, Quoniam vero, ut ipſe tradis ad Articul. IV. Auguſt. Confeſſion. *Articulus hic Fidei eſt primarius, & per hanc doctrinam diſtinguitur Eccleſia vere Chriſtiana, & Evangelica a Cœtibus corruptis pleriſque*, jure ſperare poſſe me video, Te, poſtquam ex eo Diplomate cognoveris, doctrinam noſtram in eo Articulo multum abeſſe ab errorum, quorum nos uſque in hodiernum diem inſimulaſtis, fœditatibus, flagitii loco minime habiturum benevolæ gratulationis officium, quod ſacris meis Vicennalibus ab humanitate veſtra impetrare magnopere cuperem. Dum autem voto meo iſto potiendi jucundiſſima ſpe ductus, amice

Te-

Digitized by Google

Tecum ſermocinari pergo , heu! heu! obſtrepere mihi nunquam deſinit Jo. Georgius Schelhornius, Bibliothecarius Memmingenſis, novæ cujuſdam Epiſtolæ ſuæ foliis, quæ Heideggerus, Tigurinus Bibliopola, cujus prælo illa excuduntur, mihi Brixiam jamdudum per aliquot hebdomadas, officioſa (at quæ ſatietatem pariat) ſedulitate tranſmittere ſuſcepit. Sinas igitur, precor, moleſtiæ illius cauſam meTibi hoc loco aperire, ea familiaritate utentem, qua reliqua omnia ſuperius exaravi. Egerat Schelhornius de celeberrimo Conſilio de Emendanda Eccleſia, a præclariſſimis Novemviris, auſpiciis, & juſſione Pauli III. confecto, in Epiſtola ante quatuor menſes publice ad me data, cui publice etiam reſpondi. In altera autem hac probare ſatagit, Conſilium illud a Paulo III. executioni datum non fuiſſe; eamque tractationis rationem inire comperitur, quæ palam faciat, ipſum in illa Epiſtola contexenda nil minus cogitaſſe, quam de executioni danda pactione, quam ab utroque noſtrûm religioſe fore ſervandam in perpendendis Pauli III. geſtis, præſertim ad reformationem Eccleſiæ ſpectantibus, centies, & millies ingeminavi. Innumeris, inquam, vicibus profeſſus ſum, id unum diſputationibus noſtris propoſitum eſſe debere, ut de geſtis illis ſuffragium feratur ex Epiſtolico commercio, quod familiariſſime, ac frequentiſſime inter ſe coluerunt Cardinales illi, quorum opera maxime uſus eſt laudatus Pontifex in gerendis Chriſtianæ Reip. negotiis, & quorum

de

de eo argumento literas, ex autographis ipſis plerumque deſumtas, plenis manibus dedi, publicique juris feci in iis Voluminibus, quibus Poli Cardinalis geſta illuſtrantur. Fugientem quaquaverſus a conditionibus illis Adverſarium, ſuoſque ſermones ad alia omnia traducentem, inſequi mihi non vacat; nec deſpero hujuſcemodi omnes lucubrationes ſuas eum exitum habituras, quem ingentibus Poſthumi donis vaticinatus eſt Martialis, ut ſcilicet *Authoris pereant garrulitate ſui.*

Ut autem ex ea farragine, quam meis oculis obtrudit nuperrima ejuſdem Epiſtola, unum tantum proferam exemplum veteratoriæ artis, qua ille excellit, noveris, in ea quoque Epiſtola turbas, quas alibi exciverat, de tribus Pauli nepotibus admodum juvenibus in Cardinalium numerum cooptatis, inſtaurari, mihique vitio dari, quod de eo facto ſpecioſe tantum diſſeruerim. At ſolida omnino eſſe contendo, quæ ad illud ab omni cenſura vindicandum pluribus locis exaravi. In Præfatione ad Cardinalis Contareni Vitam p. XLVIII. hæc ego ſcripſi. *Che ſe fra queſti poi hanno avuto luogo i tre giovani ſuoi Nipoti, cioè Aleſſandro, e Ranuzio Farneſi, e Guido Aſcanio Sforza, ho già fatto evidentemente conſtare nel Capo ſecondo della mia Operetta* Imago &c. *che nella ſcelta pure di eſſi, i quali furono al certo gran lumi del Sagro Collegio*, longe majores extiterunt virtutis partes, quam conſanguinitatis, *al giudizio di quei irreprenſibili Cardinali Contarini, Polo,*

Sa-

Sadoleto, e di altri ancora; ſiccome per l'iſteſſo riguardo, cioè d'una virtù anche de' teneri fanciulli capace di generare nelle menti ſaggie, e perſpicaci non incertam ſpem (*per valermi delle parole dell'iſteſſo Sadoleto*) ſed firmam fundatamque opinionem, *potè il Pontefice Giulio III. ſenza veruna cenſura avvanzare al Cardinalato il ſanto giovanetto Roberto de Nobili, la qual elezione non ſolo non riguardò per moſtruoſa Paolo IV. Pontefice di ſommo zelo, ma ſollevò di più l'iſteſſo Roberto in età d'anni 14. al grado di Bibliotecario della S. Sede; e così pure potè Pio IV. ſenza cenſura promovere S. Carlo Borromeo in età d'anni 21. alla Sacra Porpora, ed un anno di poi alla Mitra di Milano.* Accipe modo quid ad iſta reponat Schelhornius. Sufficere ſibi primum affirmat, probatum dari veterum Canonum ſanctionibus, aliorumque Paparum exemplis, præpoſteras, & intempeſtivas eſſe puerorum ad dignitates Eccleſiaſticas electiones; deinde ad rem, de qua agitur, propius accedens, negat Paulo III. adſcribi poſſe omniſcientiæ laudem; negat Pontifices eſſe impeccabiles. Ego certe Paulo laudem tantum illius ſcientiæ, quam Cardinales a me memorati eidem adſcripſerunt, adſcripſi. Nunquam, nunquam ego ſomniavi, impeccabiles eſſe Pontifices; ſed vacare culpa facinus illud, eorundem Cardinalium authoritate comprobavi. Donec Schelhornius non oſtenderit, eos Cardinales haudquaquam dignos fuiſſe celebri illo elogio, quo eoſdem mactandos duxerunt ejus tem-

po-

poris Scriptores fidei integerrimæ, imo vero vel ipſe maledicentiæ parens, Petrus Aretinus, elogio, inquam, hiſce verbis enunciato: *Adſciti ſunt in ampliſſimum Ordinem ſapientiſſimi, innocentiſſimi, clariſſimi, ſumma authoritate præditi Viri, evocati, rogati, facti ſunt Cardinales;* haud fieri poteſt, ut a mea ſententia dimovear, non aliunde ad recte dijudicanda Pauli III. conſilia, & facta, certiores hauriri poſſe notitias, quam ex commercio Epiſtolico, quod dixi. Addo, virtutum Pauli III. nepotum, adhuc adoleſcentulorum, & præſertim Alexandri Farneſii, inſignem præconem fuiſſe M. Antonium Flaminium, vel eo tempore, quo Commentarios in Davidicos Pſalmos conſcribens, Deum unice ſpirabat, teſte ipſo Schelhornio de Relig. M. Ant. Flam. Homo ergo ille divinus multum abfuit, ut dignitates in eoſdem adoleſcentulos collatas ceu monſtrum horrendum putaret; quemadmodum neque exhorruit ſupremæ in univerſam Eccleſiam poteſtatis jura, quæ in Præfat. ejuſd. Oper. ſpectare ad Romanum Pontificem diſerte fatetur. Exhorruit vero, ut fidem facit ejus Epiſtola ad Protonotarium Carneſecam data, Novatorum ab Eccleſia Catholica ſeceſſionem. En aliqua hujus Epiſtolæ verba: *Stanno oſtinatiſſimi nelle loro imaginazioni, accecati dalla ſuperbia umana amatrice della novità, & nimica delle vie comuni.* Et paulo infra: *Signor mio, ſe non vogliamo far naufragio in queſti pericoloſiſſimi ſcogli, humiliamoci nel coſpetto di Dio, non ci laſciando in-*

C *dur-*

Digitized by Google

durre per ragione alcuna, per veriſimile ch' ella ne pareſſe, a ſepararci dall' unione della Chieſa Cattolica.

Aut igitur Schelhornius expungat ex ſuis Amœnitatibus, quibus, ut alibi dixi, nihil Catholicorum auribus inamœnius, Commentationem illam de Flaminio, atque una ſimul falſitatis evincat facinus illud Pauli III. egregium & ſumma celebritate famæ olim acceptum, ac omni ævo commemorabile, *Adſciti ſunt in ampliſſimum Ordinem &c.* atque tandem ceu Romanæ Curiæ aſſentatorem traducat procaciſſimum Principum conviciatorem Aretinum, aut deſinat Pauli III. laudibus detrahere. Sin vero maleſanam hanc ſitim ſedare non valeat, *centum luminibus*, quibus *cinctum caput Argos habebat*, mutuas ille Cardinalium literas perſcrutetur, quas Editio, cui adornandæ incumbo, complectitur. Quo ditiorem iſta earundem copiam offert, eo uberiorem, ſiquidem in lectionem illam ſe immerſerit, occurrere ſibi poſſe confidat, oportet, ſegetem rerum, quæ juſtas ipſi Pontificis illius conſilia, & geſta reprehendendi cauſas ſubminiſtrent. Neque enim vereri debet, ne earum literarum Scriptores id ſibi propoſuerint, ut factorum, quæ narrabant, veritatem diſſimulationis integumentis celarent. Quænam, amabo, patere poteſt ſuſpicio in frequentanda fraterna illa Epiſtolari neceſſitudine larvas adhibere iiſdem placuiſſe, quandoquidem in more haberent, omni ſpe, ac metu poſtpoſitis, ſenſus ſuos ſumma cum libertate vel ipſi Pontifici non circuitio-

tionibus, ſed apertis verbis explicare? Eximiam fuiſſe in Sadoleto (ut de hoc tantum hic dicam) invictamque hac in re mentis fortitudinem, pluribus Epiſtolarum ejus locis in medium allatis demonſtrandum ſuſcepit Ludovicus Donius d'Attichy Epiſcopus Æduenſis in Tomo tertio Florum Hiſtoriæ S. R. E. Cardinalium; atque inter cætera adnotat, Sadoletum *ipſi Paulo III. fere, ſi dicere licet, ſuccenſuiſſe*, quod Hieronymum Aleandrum Archiepiſcopum Brunduſinum nondum inter Cardinales recenſuiſſet, namque eidem Pontifici ſcribens lib. 12. Epiſt. 7. *Incredibile eſt* (ait) *Pater Sancte, quantum dolorem acceperim, quod ſummus, & doctiſſimus Vir, Hieronymus Aleander, Brunduſinus Archiepiſcopus ab eo bonore exciderit, ad quem ego vocatus ſum*. Et plura poſtea in ejus laudes locutus ita ſubdidit: *Quo ergo tantum bonum a nobis rejectum eſt?* Tantam loquendi libertatem in Cardinale nudius tertius, ut ita dicam, ad eum gradum vocato, quis non admiretur? At majore adhuc admiratione proſequenda eſt virtus, prudentia, magnitudo animi, ipſius Pontificis, qui eandem libertatem, non in bonam tantum partem acciperet, ſed præmiis etiam afficeret; quare ad ſupplices ejuſdem Sadoleti literas, Aleandrum primo, deinde Bembum, Corteſium, Capiferreum, atque Campegium, ſacra Purpura donavit. Ne dubitet igitur Schelhornius ſibi defutura eſſe documenta candoris hujuſcemodi in mutuis literis, de quibus

C 2 agi-

agitur. Itaque illas adeat, illas conſulat, illas evolvat, & inde eliciat, ſi valet, horrendos eos ſuccos, quibus ad aſſuetas ſibi propinationes utatur. Sin vero fruſtra ſe laboraſſe comperiet, *Vatinianum*, & *Novercale* odium, cujus Cardinalem Polum, mitiſſimi profecto, ſi quis alius, ingenii hominem, in ſuis de illius rebus, quos edidit, Commentariis redarguendum ſuſcepit, ſuimetipſius proprium in Pauli III. geſtis differendis feciſſe, dicendus erit, ac propterea iiſdem infudiſſe ipſemet calamo ſuo, quæ *Lurida terribiles miſcent aconita Novercæ*. Annon dixerim (ut hoc etiam addam) ea tantum rabie obcæcatum Schelhornium, fidei præſtitæ Aſtrologiæ judiciariæ reum peregiſſe Paulum III. ex hujus, dum adhuc Cardinalis eſſet, Genitura inter arcanas Petri Aloyſii Farneſii chartas detecta? Hæc profecto, quum vaticinationes per ipſam enunciatæ eventibus omnino reſponderint, ſi germana foret, non autem ſubdititia, certiſſimo documento comprobaret, veracem omnino eſſe divinatricem artem; quam tamen tanquam meram inſaniam Schelhornius exploſit, dolenter præterea faſſus, eandem miſere inſaniſſe Melanchthonem, paſſimque Scholam hujus omnem. Viles hujuſmodi nænias, ut Catholicorum rebus, quoad ipſe valet, officiat, amare, ac ſuis in lucubrationibus cumulare aſſuetus Schelhornius, nil mirum, ſi primam ſuam Epiſtolam, eam dico, quam ante quatuor menſes evulgavit, paribus fabellis adſperſerit. Hujuſmodi certe fuit tegendorum

rum

rum potius , quam emendandorum vitiorum cu-ra, quam Pontifici in iiſdem puniendis celebratiſſimæ ſeveritatis , Paulo ſcilicet IV. attribuit , eaque de cauſa locum ab eodem in Indice librorum vetitorum aſſignatum fuiſſe libello de Emendanda Eccleſia , paulo ante memorato , affirmavit , parvi faciens Sarpii , Curayeri , Seckendorffii , Thuani, Richerii , Launoii , Franci , Kieslingii , & præterea Alexandri, Dupinii , atque Fleury , ſeu hujus Continuatoris authoritatem , ut Vergerio, homini, veluti illum vocat Seckendorffius, verſatili, pauculiſque quibuſdam,qui Vergerium exſcripſerunt,adhæreret. Quas,aliaſque haud diſparis pretii ſtrophas in reſponſoriis ad eam Epiſtolam literis quoniam perdoctorum etiamVirorum modo ſuperſtitum dictis, quæ recitavi , diſſipandas curavi , hoc illud eſt, quod ſe in primis concoquere non poſſe ſemel iterumque Schelhornius declaravit,perinde ac ſi ignoraret, ſemper licuiſſe, pro tuenda ſententia ſua teſtes adhibere , vades conſtituere , ſapientes adire.

Hactenus de moleſtia,quam,dum jucundos Tecum , Feverline , ſermones conferrem , inferri mihi contigit per nuperam Schelhornii Epiſtolam , cujus impreſſioni nondum Tigurinum prælum finem impoſuiſſe video , nam folia ejuſdem tantum ab A ad I Heideggeri Typographi diligentia Brixiam ad me hucuſque tranſmiſit . Si qua vero ſcriptioni meæ ex moleſtia illa ſe ſe immiſerit verborum aſperitas, noverit Schelhornius (quod ipſum alibi

profeſſus ſum) valde quidem hanc ab animo meo abhorrere, ſed ad eandem adhibendam calamum meum quodammodo adegiſſe perpetuas illas vagationes, quibus huc, illucque deduci Adverſarius ſe patitur, veluti immemor ſuſceptæ inter nos diſputationis. Id unum mihi in iſta propoſui, ut ex Epiſtolis, quarum maximam vim detexi ego, & in lucem extuli in Editione, cui ab aliquot annis incumbo, luce meridiana clarius demonſtrem, nefas fuiſſe Novatoribus ab hominum illorum, quos Paulus III. adminiſtrandis Eccleſiæ Catholicæ rebus præfecerat, conſortio diſcedere, quos ſcilicet ceu peritiſſimos medicos in ſanandis ejuſdem Eccleſiæ morbis, ceu ſapientiſſimos magiſtros in dijudicando quæ vera forent ipſius Eccleſiæ dogmata, eademque a falſis quorundam opinamentis ſecernendo, ceu tandem Chriſtianæ vitæ ſanctiſſimos inſtitutores, venerari potius, ac ſectari debuiſſent. In ea igitur diſputatione Hiſtoricum unice ago, non vero Controverſiarum, quas appellamus, diſceptatorem. Has tamen omnes diremptas fore contendo eo ipſo quod conſtat, injuſtam fuiſſe eorundem Novatorum ab Eccleſiæ Catholicæ cætu ſeceſſionem. At, iterum dico, hactenus de moleſtia illa. Supereſt modo, ut Tibi non diſſimulem, ad eandem abſtergendam Tigurinum ipſum prælum una ſimul opportuna mihi pharmaca attuliſſe, Epiſtolas nempe, præſtantiſſimorum ejus Urbis Lycei Doctorum, Breitingeri, & Hagenbuchii. Inſcripſit mi-

mihimetipſi Breitingerus ſuam, quæ modo excuditur, quæque hunc titulum præfert, *De antiquiſſimo Turicenſis Bibliothecæ Græco Pſalmorum libro, in membrana purpurea, titulis aureis, ac literis argenteis exarato, Epiſtola*. Vix credas, quam valde ea lectione delectatus fuerim ſuperioribus diebus, & delectari adhuc pergam, ſtatim ac nova ejus impreſſionis folia meas ad manus perferantur. Advenerunt autem jam ſeptena, atque admodum gaviſus ſum eorundem initio præclariſſimum Scriptorem fateri, pergratam ſibi fuiſſe notitiam, quam ſecum per literas Heideggero ſcriptas communicaveram, de binis Codicibus Latini Pſalterii in Bibliotheca Cœnobii San-Gallenſis, quorum unus aureis undique literis rutilat, alter vero, pariter præſtantiſſimus, Diſtichon iſtud in fronte præfert:

Hunc Præceptoris HARTMOTI *juſſa ſecutus*
FOLCARDUS *ſtuduit rite patrare librum*.

Erubui autem quam maxime, dum illo ipſo initio mira cum humanitate Breitingerus extollens propenſam illam erga literas, & literatos homines voluntatem, quam in me doctam Helvetiam agnoviſſe fatetur, quum præterito Autumno eam regionem peragravi, Mecœnatis elogium, quod recitat, meo calamo adſcribit, licet illud ab Actorum Trevoltienſium Auctoribus elegantiſſime fuerit concinnatum. Utinam vero levem ſaltem ejus imaginis adumbrationem potis ipſe forem meis moribus exhibere, unde pateret ideæ meo animo infixæ, quam ver-

verbis *ſelon lui*, iidem Auctores expreſſerunt, mores quoque meos quadantenus reſpondere. Ex ea vero, quam ſenſiſſe me dixi, delectatione id in primis conſequutum eſt, ut ardeam jam deſiderio Vaticani Codicis evolvendi, cui negotio ſi gravis, eruditaque cura impendatur, haud deſperat Breitingerus Codicis Turicenſis defectus redintegrari poſſe, quo ſcilicet pacto eos, quibus laborabat celeberrimus, ac vetuſtiſſimus Alexandrinus Erneſtus Grabius ex eodem Vaticano redintegrare neceſſe habuit. Intento præterea oculo animadvertam in ſingulares, & obſoletas ſcribendi formulas, recedentes nimirum a recepto Grammaticorum uſu, & dialecto communi, quarum frequentiora in eo Vaticano Codice, quam in Alexandrino, & Turicenſi, extare veſtigia, ex ipſa prima illius Editione Sixtina Breitingerus contendit. Deinde vero ſtudioſe ſcrutabor, num & mihi cum Breitingero ſentire aliquo modo liceat, Judæos Helleniſtas Græcæ Tranſlationis Auctores, in efferendis Græcis vocibus peculiarem, & diverſum a ceteris accentum uſurpaſſe, ac propterea anomalias illas Librariorum imperitiæ, aut incuriæ neutiquam eſſe tribuendas, quin potius eas poſſe argumentum præbere ſummæ fidei, qua priſcam Lectionem religioſe fuerint illi ſequuti. Hæc, inquam, omnia exacte, quantum a me fieri poterit, perpendere ſatagam, ut primo ante oculos meos fuerit Codex Vaticanus. Interea vero facere non poſſum, quin indi-

indigner, inſolentius exagitatam fuiſſe a Batavo quodam Ariſtarcho, Authore ſcilicet Diarii, cui titulus ineſt, *Biblioteque raiſonnée*, Breitingeri opinionem de anomala MSC. Alexandrini Scriptura. Hanc idem Breitingerus in Epiſtola, de qua agitur, etſi neque ineptam, neque omni præſidio deſtitutam reputari poſſe profiteatur, modeſte tamen agnoſcit nondum ſatis ipſam explicatam eſſe, ac proinde ea *ſtabit, cadetve*, ait, poſtquam ipſe Vaticano Codice diligenter inſpecto, quidnam mihi de Lectionibus illis anomalis videatur, exponam. Pharmacum aliud ad relevandam eam ipſam ægritudinem, ſuperius indicatam, mihi ſuppeditavit Epiſtola, quam ad me recens exaravit Breitingeri in Tigurino Lyceo Collega, eruditiſſimus Hagenbuchius. In ea ſiquidem poſt injectam mentionem *de Oſtionibus*, *& Oſtidamniis*, quos ipſe Pythean vetuſtiſſimum Scriptorem Maſſilienſem ab acerba, & iniqua veterum criſi vindicans in Galliæ Celticæ *Oſiſmiis* primus quæſivit, cujuſque inveſtigationis ſuæ momenta trutinanda mihi liberaliter præbuit in Abr. Gronovii libro, cui titulus, *Varia Geographica*, excitat deinde plura ex celeberrimi Muratorii novo Inſcriptionum Theſauro, quæ utique ſtudium meum in legenda ea Epiſtola erectum retinuerunt. Transfert tandem ſermones ad bina inſignia Diptycha, quæ Brixia poſſidet, meum ſcilicet Amatorium, & Barbiſonium Boethii Conſulis. Faſſus non eſſe ſui arbitrii, ſtatuere quodnam pretium

tium mereantur quæ de primo *mira ingenii fæcunditate* (ait ipſe) *protulerunt ſtudia contraria, & certantia hominum ætatis noſtræ doctiſſimorum, qui* Tibi *gratificati, eodem omnes ſtudio, quiſque in ſua ſibi navi, æquor hoc eboreum ſulcantes, ventis uſi diverſis, alii alio delati ſunt*, id ſibi jamdiu propoſitum fuiſſe ſubjungit, ab interpretandis Monumentis, a quibus literæ abſint, manum fere abſtinere, *Quod hoc interpretandi genus tantum non omne, quoties literæ adſunt nullæ, quæ viam veri quærendi, inveniendive aperiant, ſæpe ſæpius ejuſmodi eſt deprehenſum, ut ne veri quidem ſimilia prolata eſſe ab æquis rerum æſtimatoribus ſit judicatum*. Manum autem, quam ſibi contrahendam Hagenbuchius cenſuit, Diptychi illius Amatorii, ceu *illiterati*, interpretationem refugiens, large omnino dilatavit in exponendo Boethii Diptycho *literato*, hoc eſt literis inſcripto, notatoque; id enim præſtitit in libro Epiſtolarum ſuarum Epigraphicarum Epiſt. XX. a pag. 272. uſque ad 353. & quædam præterea addidit in Epiſt. ad Nobiliſs. Blaurerum pag. 29. ſqq. Acervus certe mirificus conquiſitiſſimæ eruditionis utroque eo loco ab Hagenbuchio congeſtus tanta animum meum admiratione perculit, ut propoſitum eandem tractationem aggrediendi, quod ſuperiore anno, jam jam abdicaturus Etruſcæ Academiæ Principatum, inieram, locupletiſſima ſua copia prorſus ille peremerit; unde mutato conſilio animus mihi modo eſt, paratam ad eam rem ſupellectilem Hagenbuchio ipſi

ipſi

ipſi impertiri, ut eo authore major rerum ordo naſcatur, ac propterea afferri a me valeat præſtantiſſimo illi Cœtui dignius aliquid promiſſis. Præter interpretationes Buhierii, & Leichii, quibus Hagenbuchius jam potiebatur, accepit iſte nuperrime a me Diſſertationem, in qua ſententia doctiſſimi Præſulis Philippi a Turre exponitur; accepit præterea Mazochianam ejuſdem Diptychi interpretationem, cujus aſſequendæ magna flagrabat cupiditate; ac tandem ipſius Diptychi imaginem, quam recens ærea tabella perfecte exprimendam curavi. Supereſt igitur unice Boziana, quam eidem pollicitus ſum me propediem tranſmiſſurum. Mazochianas explicationes ſibi parum arridere, tanquam valde contortas, jam aperte ad me ſcripſit Vir ille in reconditarum Antiquitatum peritia admodum excellens. Quare vereor, ne parum grata pariter ei accidat Bozianarum, quam ego magnopere admiratus ſum, opulentia. Hæc autem ſi cui appellanda videretur luxuries, id per me licet, dummodo pretioſa exiſtimetur, æque ac Tagi tempeſtas, de qua Claudianus Poeta.

Demum ad averruncandam veneficam eam moleſtiam, quam ſæpius dixi, præſentiſſimi amuleti inſtar mihi fuit doctiſſima Commentatio, quam literis Tuis junxiſti, Feverline, de variis linguis, quibus uſi ſunt Apoſtoli. Eam autem dum legerem, haud Tibi diſſimulabo, in mentem mihi veniſſe, pari fortaſſe miraculo opus eſſe, quo meas Roma-

manorum Pontificum, ac Pauli III. præſertim, vindicias Schelhornio perſuadeam. Vale.

Brixiæ die XX. *Februarii an.* MDCCCLVIII.

P.S. Poſtquam iſthæc omnia ſcripſiſſem, placuit mihi, antequam Epiſtolam clauderem, in manus reſumere Schelhornianæ bina ea folia, quæ dumtaxat a biduo recepi, pupugitque me vehementer, ut verum fatear, quam ibi p.60. deprehendi, hujuſcemodi compellatio: *Jam ipſemet, quæſo,* DOMINE, *judex eſto, & libere pronunciato, num Conſultores hac in re a culpa ipſi dicendi ſint vacui, annon potius hunc abuſum, quem magni eſſe momenti in Eccleſia Dei cenſuere, ſuo confirmarint exemplo?* Loquitur Schelhornius de Novemviris, qui licet in Conſilio de emendanda Eccleſia, ceu incompatibilia reſpexerint officium Cardinalatus, & officium Epiſcopi, utrumque tamen ſimul geſſerunt. Quid opus, quæſo, erat me judicem hujuſce rei conſtituere? Nonne in alia mea Scriptione vulgata ante binos menſes, apertiſſimis verbis affirmavi, idque pluribus vicibus inculcavi, conſultiſſima deliberatione a Patrum Purpuratorum Senatu ſtatutum fuiſſe, capita quævis in eo Conſilio propoſita appropinquanti Concilio Generali reſervari? cujus certe rei inter cæteros indubiam fidem facit Sadoletus unus ex illis Conſultoribus, unuſque ex illis Senatoribus, in Orat. ad Princ. Germ. Tridentinum autem Concilium jam conſtat ſuffragio ſuo non probaſſe eam, de qua modo dicimus, inſociabilitatem. Probavit vero quam maxime, imo præſcripſit, Cardinales, ſiquidem Epiſcopatum gerant, teneri, æque ac reliquos Antiſtites, ad reſidendum in ſuis Diœceſibus; probavit etiam pleraque alia ejuſdem Conſilii monita, adeo ut Curayerus in Præf. ad ſuam Verſionem Gallicam Conc. Trident. p.XXIX. ita ſcripſerit: *A l'egard de la Diſcipline, il eſt certain qu'on y a fait un nombre d'excellens Reglemens conformes à l'ancien eſprit de l'Egliſe, & qu'on y a remediè a quantitè d'abus pernicieux, qui regnoient impunement auparavant*. Et paulo poſt: *Tous ces deſordres n'ont pas ètès redreſsès par le Concile. Mais ſi l'on en juge ſans prèvention on peut dire avec veritè, qu'ils ſont infiniment moindres, qu'auparavant*. De Curayero ita loquente, Senecæ illud, a Schelhornio p. 62. uſurpatum, *Gravior teſtis eſt, qui e reo ſurgit*, locum habere, me etiam tacente quiſquis intelliget. Regeretne adverſus eundem Schelhornius, quod de Contareno ſcripſit p. 71. & 72. ut vim Epiſtolæ ab hoc exaratæ, & a Pallavicino recitatæ eluderet? ait enim, *Specie aliqua reformationis fucum ſibi fieri paſſus* eſt *optimus Contarenus*. Schelhornium rogo, ne parem culpam *optimo ſuo Curayero* imponat, neve culpam ipſe contrahat judicia ſua ferendi *avec prèvention*.

Iterum vale.

A01 1467713

Digitized by Google